

distringendos, vel ulla redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, ve ea quae supra memorata sunt, penitus exigere praesumatur, sed liceat memorato abbatii suisque successoribus res predicti monasterij sub immunitatis nostrae defensione quieto ordine possidere; et quidquid exinde fiscus sperare poterat, totum nos pro aeterna remuneratione praefato monasterio concedimus, ut in alijmoniam pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat perpetuis temporibus in augmentum, quatenus servos Dei qui ibidem famulantur Deo, pro nobis et conjugie proleque nostra atque stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Dominum exorare delectet. Et ut haec immunitatis nostrae auctoritas firmior habeatur et diligentius conservetur, manu nostra propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Datum iv Nonas Junii, Christo propitio, anno III imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris, iudictione nona. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine.

## V.

*Charta Ludovici Pii de libertate carorum et sagmariorum.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, vicariis, et centenariis, telonariis, actionariis notum sit, quia concessimus monachis in monasterio quod est

A situm in loco qui dicitur Castellionis, quod nuncupatur Mansurium, quod est constructum in honore sancti Michaelis archangeli et sanctae Mariæ semper virginis, vel sancti Petri principis apostolorum, degentibus, ubi etiam vir venerabilis Smaragdus abbas praestet, ut de carris et sagmariis necessaria ipsius monasterii vel congregationis ibidem Deo famulantibus deferentibus, nullus tejoneum aut alias quaslibet exactiones requirere aut exactare praesumeret. Item neque de patellis quae sunt in Marsallo et in subteriori Vico, aliquod tributum de hoc quod ad opus necessitatemque desertur, exigere praesumerent, sed in nostra eleemosyna concessum atque indulsum habeant. Unde jubemus atque precipimus, ut nullus quislibet de carris aut sagmariis predictorum monachorum B necessaria deferentibus, undecunque fiscus teloneum exigere poterat, ullum teloneum, aut tranaticum, aut portaticum, aut pulvematicum, aut ullum occursum, vel ullum censem aut ullam redhibitionem accipere audeat, sed licitum sit eis absque alicuius illicita contrarietate, per hanc nostram auctoritatem, homines eorum cum carris et sagmariis illorum cum his quae deferunt, libere atque secure ubicunque properant, ire et redire: et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus (ut dictum est) exigatur.

Data iv Nonas Septembbris, anno tertio imperii Ludovici piissimi Augusti, indictione x. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

C

## EPISTOLA CAROLI MAGNI AD LEONEM PAPAM

De processione Spiritus sancti, quam edidit Smaragdus abbas.

(Vide hujusce Patrologie tomum XCIII, col. 923, inter epistolas Caroli Magni.)

ANNO DOMINI DCCCXVIII.

# MAGNUS

## SENONENSIS ARCHIEPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA IN MAGNUM.

(Ex Gallia Christiana.)

Magnus Senonensis archiepiscopus a Leone III consecratus fuit anno 801, dum Romæ in comitatu Caroli magni degeret. Senonas reversus, in monasterium S. Petri divertit, unde in crastino usque ad templum maius B. Stephani cum hymnis et canticis a populo et clero deportatus fuit, qui mos in hodiernum usque diem Senonis observatur. A Carolo imperatore cum Godefrido comite missus dominicus est ad Aurelianum, Trecas, Lingonas, Vesontionem et Augustodunum an. 802. Exstant litteræ formate

D Ebroini Bituricensis archiepiscopi ad Magnonem Senonensem archiepiscopum pro Dadoberto presbytero datæ an. 810. Caroli Magni litteris pulsatus Theodulfum Aurelianensem antistitem impulit ad scribendum librum de ordine baptismi, quem Theodulfus Magno dicavit, et Magnus Carolo an. 812. Huic etiam dicavit quas in juris scientia peritissimus notas collegerat: vicissimque Carolus imperator Magai in gratiam basilica S. Stephani villas, prædia, ornamenta varia pretiosissimasque sanctorum reliquias

donavit. Caroli filius Ludovicus Pius Magno directe ann. 817 exemplar regulæ canonicorum ex synodi Aquisgranensis consilio, præcipiens eam in provincia sua observari. Magni adhuc jussu Vita S. Severini abbatis Agaunensis, a Fausto ejus discipulo

A scripta, ab anonymo correcta fuit. Mortuus est anno 818, sepultusque in ecclesia quam in honorem Salvatoris adiscaverat in vicinis pro canonicorum sepulchra. Hæc ecclesia canonicis regularibus S. Augustini procedente seculo duodecimo concessa est.

## MAGNI SENONENSIS

### LIBELLUS DE MYSTERIO BAPTISMATIS,

JUSSU CAROLI MAGNI EDITUS.

(Marten., Vet. Ecl. Rit.)

Gloriosissime imperator, innotescere magnitudini vestre præsumpsimus nos servi vestri, Magnus sciens et ceteri compares mei, licet indigni episcopi ad Senonicam diocesem pertinentes, quia præceptum vestrum humiliter et libertissimo animo susceptum, justa quod nostra prævaluit exiguitas de mysterio baptismatis, sicut in vestra continetur epistola, admonitionem vestram inquirere vel investigare studiimus, qualiter intelligere vel tenere debuisseamus; unde si ausi sumus, immense clementia vestra referimus laudes, eo quod nos de somno stultitiae vel insipientiae excitare dignati fuistis, sicut semper et ubique solliciti estis. Gratias namque omnipotenti Deo et vobis inde nos et plurimi aliū eruditiores et meliores esse debemus et sumus. Vestram tamen exoramus clementiam, ut nobis indulget vestra benignitas, quod per omnia sicut debuimus vobis remuniri nequivimus, sed etiam hoc quod nobis Patres per illorum reliquerunt exempla, et nos ex nostra exiguitate parte intelligimus ordine subsequamur.

Baptismum Graece Latine tinctio interpretatur, quia ibi homo Spiritu gratiae in melius mutatur. Et propterea infans ter mergitur in sacro fonte, ut sepulturam triduanam Christi trina dimersio mystice designaret, et ab aquis elevatio Christi resurgentis similitudo est de sepulcro. Nullatenus itaque baptissimi mysterium perfici potest, nisi sub invocatione sancte Trinitatis, quia rectum est ut homo qui ad imaginem sancte Trinitatis creatus est, ad eamdem revocetur imaginem.

Catechumenus autem audiens sive instructus interpretatur, ut audiat et discat, antequam ad sacram accedat fontem, mystica Christianæ religionis sacramenta, et tunc discat fidem sancta Trinitatis et symbolum, et cetera qua Christiana admonet lex.

Scrutinium vero dicitur inquisitio, eo quod per illum exploratur qualiter fides catholica in illorum cordibus retinetur. Et aliter scrutinium a scrutando dicitur, quia tunc scrutandi sunt catechumeni, si recentam jam noviter fidem symboli eis traditam firmiter teneant.

Symbolum Graece Latine indicium et signum, vel collatio interpretatur. Indicium quia per id indicateur

B fidei integritas : signum, quod eo bene refento et intellecto, fideles ab infidelibus discernuntur; collatio, quia in eo apostoli omnem fidei integritatem contulerunt.

Qualiter itaque credere in Deum Patrem omnipotentem, et in Filium ejus Jesum Christum, et in Spiritum Sanctum et cetera qui baptizandi sunt profertur; quamvis parvuli per se profiteri non possint, tamen per corda et ora tenentium eos fides confitentur catholicæ, id est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unius essentiae, unius potestatis et sempiternitatis, sine initio et sine fine unus Deus invisibilis, ita in singulis personarum proprietate servata, et substantialiter Trinitas dividi nec personaliter debet omnino confundi: Patrem ingenitum, Filium genitum et natum ex Maria virgine, et crucifixum, et mortuum, et resurrexisse, et ascendisse in caelos, et sedentem a dextris Patris, inde venturum esse in eadem carne judicare vivos et mortuos. Et Spiritum sanctum nec genitum, neque ingenitum, sed procedentem a Patre et Filio. Nec non et unam confitentur catholicam Ecclesiam et communionem omnium sanctorum, id est congregationem omnium fidelium in Christo, atque credunt remissionem peccatorum, et resurrectionem carnis, et vitam post mortem, et regnare cum Christo in saecula saeculorum, amen.

Abrenuntiatio dicitur abominatio, sive detestatio, quia ante baptismum unusquisque propriæ originalia peccata servus est peccati, et ideo abrenuntiat diabolo, qui est princeps peccati, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus, id est vitiis, ut damnationem illius aspernetur. Quam abrenuntiationem recte confessio sanctæ Trinitatis sequitur, ut ubi abundavit peccatum superabundet gratia.

Insufflantur etenim qui baptizandi sunt a Dei sacerdote, ut ex eis princeps effugetur peccatorum, et Christo Domino paretur introitus, et per illius insufflationem mereantur accipere Spiritum sanctum.

Exorcismus Graece Latine conjuratio sive sermo increpationis est adversus diabolum; et ideo exorcizatur unusquisque veniens ad baptismum, ut efficiatur templum Dei vivi, qui per naturam suam effectus erat templum diaboli, et recedente diabolo,